Burch. *l.* 8. *c.* 55. Ivo, *p.* 7. *c.* 73. leſcentiores Viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum [26] familiaritatibus ſubjiciantur.

¶ PITH. [26] *Clericorum.*] V. C. *aliquorum.*

XXXIV. *Item* EX EODEM CONCILIO CARTHAGINENSI IV. *c.* 103. [an. 398. *in Africa.*]

De eodem.

f Polyc. *ibid.* Ivo, *p.* 8. *c.* 327. VIduæ [f], quæ ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, tam aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, ut & meritis, & orationibus ſuis Eccleſiam adjuvent.

EPISCOPUS VIDUIS, ET PAUPERIBUS SUBVENIRE DEBET.

DISTINCTIO LXXXII.

GRATIAN. 1. *Pars.* „ GENERALITER etiam pauperibus, & iis, qui ſuis manibus laborare non poſſunt, Epiſcopus neceſſaria provideat. Unde legitur

I. IN CONCILIO AURELIANENSI I. *c.* 18. [an. 511. *in Gallia.*]

De eodem.

EPiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui, debilitate facientе, non poſſunt ſuis manibus laborare, victum, & veſtitum [1] (inquantùm ſibi poſſibile fuerit [a] [2]) largiatur.

a *al.* poſſibilitas habuerit. *orig.*

¶ PITH. [1] *Veſtitum.*] V. C. *veſtimentum.*

[2] *Sibi poſſibile fuerit.*] 3. V. C. *poſſibilitas habuerit.*

II. *Item* INNOCENTIUS [3] I. Exuperio Toloſano Epiſcopo, *Epiſt.* 3. *c.* 1. [an. 405. *Romà in Galliam.*]

Qui voluptatem officio præpoſuerit, modis omnibus ſubmoveatur.

2. *Pars.* PRopoſuiſti [b], quid de his obſervari debeat, quos in Diaconii miniſterio, aut in officio Presbyterii poſitos, incontinentes eſſe, aut fuiſſe, generati filii prodiderunt. De his & Divinarum Legum manifeſta [4] eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Epiſcopi [c] monita evidentia commearunt, ut incontinentes, in officiis talibus poſiti, omni Eccleſiaſtico honore privarentur, nec admittantur [5] ad tale miniſterium, quod ſolâ continentiâ oportet impleri. Eſt enim vetus admodum ſacræ Legis autoritas [d] jam inde ab initio cuſtodita, quòd in templo, anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt Sacerdotes, ut ſervientes ſacris oblationibus, puros & [6] ab omni labe purgatos [e] ſibi vendicent Divina miniſteria, neque eos [f] ad ſacra officia [g] [7] fas ſit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale conſortium; quia ſcriptum eſt [h]: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Quibus utique propter ſobolis ſucceſſionem, uxoris [8] uſus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu [i], & præterquam ex ſemine Aaron [9], ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. Quo [k] magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die Ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel Miniſterium ſine ſucceſſione eſt; nec præterit dies, quâ vel à ſacrificiis Divinis, vel Baptiſmatis [l] officio vacent. Nam ſi B. [10] Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribit dicens [m]: *Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi;* & hoc utique Laicis præcepit; multò magis Sacerdotes, quibus & orandi, & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi conſortio abſtinere: qui [n], ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia α, quo pudore vel ſacrificare uſurpabit, aut quâ conſcientiâ, quòve merito exaudiri ſe credit, cùm dictum ſit [o]: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum?* Sed fortaſſe hoc licere credit, quia ſcriptum eſt [p]: *Unius uxoris virum* [11]. Non dixit hoc β ut permaneret [12] in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram. Neque enim integros corpore non admiſit, qui ait [q]: *vellem autem omnes ſic eſſe, ſicut & ego.* Quòd & apertiùs declarat, dicens [r]: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem* [13] *jam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.* Et [ſ], *habentem filios*, non, *generantem* dixit. Sed ea planè diſpar, & diverſa [14] ſententia eſt. Nam ſi ad aliquos forma illa Eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio ad provincias commeavit, non probatur [t] perveniſſe; his ignorantibus [u] venia non negabitur: ita ut de cetero penitùs incipiant abſtinere: & ita gradus ſuos [15], in quibus inventi fuerint, retentent, ut eis non liceat ad potiora conſcendere: quibus in beneficio eſſe debet, quòd hunc ipſum locum, quem retinent, non amittunt.

§. 1. Si qui autem ſciſſe formam vivendi miſſam à Siricio deteguntur [x], neque ſtatim cupiditates libidinis abjeciſſe; illi ſunt modis omnibus ſubmovendi: quia poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem.

b Ivo, *p.* 6. *c.* 57. Pann. *l.* 3. *c.* 137. Anſel. *l.* 8. *c.* 8. Polyc. *l.* 4. *tit.* 31.
c Infrà *c. ſeq.*
d *Luc.* 1. & 1. *Paralip.* *c.* 24.
e *al.* puri, & purgati.
f Sup. *diſt.* 31. *c. eos.*
g *al.* ſacrificia.
h *Levit.* 11. & 20.
i *Num.* 18.
k Quanto. *orig.*
l *al.* orationis.
m 1. *Cor.* 7.
n *al.* quia.
o *Tit.* 1.
p 1. *Tim.* 3.
q 1. *Cor.* 7.
r *Rom.* 8.
ſ 1. *Tim.* 3.
t probabitur. *orig.*
u *al.* ignorationis.
x *al.* detegentur.

¶ CORR. ROM. α *Concupiſcentia.*] Emendatus, & locupletatus eſt hic locus ex ipſa Epiſtola Innocentii, quemadmodum & multa alia in hoc Capite, ubi per Gloſſam licuit: In Epiſtola autem Siricii, quæ refertur in Concilio Teleptenſi (ita enim pro Tellenſi legendum videtur) ſic legitur. *Quid faciet? excuſabit? quo pudore? qua mente uſurpabit? quâ conſcientiâ, quo merito hic exaudiri ſe credit?*

β *Non dixit hoc.*] In originali ſic legitur: *non ad permanentem in concupiſcentia generandi hoc dixit.*

¶ PITH. [3] *Innocentius.*] Creſcon. *Victuario Epiſcopo Rotomagenſi.*

[4] *Manifeſta.*] Abeſt à Creſc.

[5] *Admittantur.*] 2. V. C. *admitterentur accedere ad miniſterium.*

[6] *Et.*] Abeſt à V. C.

[7] *Sacra officia.*] Creſc. *ſacrificia.* Ita etiam V. C. Codd.

[8] *Uxoris.*] 2. V. C. *uxorius.*

[9] *Et præterquam ex ſemine Aaron.*] Abſunt à 3. V. C. & Creſc.

[10] *B.*] Abeſt à V. C.

[11] *Unius uxoris virum.*] Creſc. addit, *non permanentem in concupiſcentia generandi hoc dixit, ſed propter conſcientiam futuram.*

[12] *Non dixit hoc ut permaneret.*] V. C. *non propter manendum.* al. *permanentem.* al. *permanente.* forte *pro manente hoc dixit, ſed propter continentiam futuram.*

[13] *Vos autem &c.*] Hæc deſunt apud Creſc.

[14] *Diverſa.*] Creſc. *diviſa.*

[15] *Suos.*] Abeſt in V. C.

III. *Item* SIRICIUS Papa ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum, *Epiſt.* 1. *c.* 7. [an. 385. *Romà in Hiſpaniam.*]

De eodem.

y Ivo, *p.* 6. *c.* 50. Polyc. *l.* 4. *tit.* 31. PLurimos [y] [16] Sacerdotes Chriſti, atque Levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu ſobolem [17] didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus, ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc, quiſquis ille eſt ſectator libidinum, præceptorque vitiorum, ſi æſtimat, quod [18] in Lege Moyſi paſſim ſacris Ordinibus à Deo noſtro laxata ſunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet, dicens [z]: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter?* Cur etiam procul à ſuis domibus, anno vicis ſuæ [a], in Templo habitare juſſi ſunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus poſſint [19] carnale exercere commercium, ut conſcientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus, etiam [20] expleto deſervitionis ſuæ tempore, uxorius [21] uſus ſolius ſucceſſionis cauſâ fuerat relaxatus: quia non ex alia, niſi ex tribu Levi, quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus [22] admitti.

z *Levit.* 20.
a *Luc.* 1.

¶ PITH. [16] *Plurimos.*] Refertur à Creſc. Vide Socratem *lib.* 5. *c.* 21. *p.* 318.

[17] *Sobolem.*] V. C. *Jubolem.*

[18] *Quòd.*] 2. V. C. *quia in Lege Moyſe.*

[19] *Poſſint.*] V. C. *poſſit carnale exerceri &c.*

[20] *Etiam.*] Abeſt à V. C.

[21] *Uxorius.*] Ita 2. V. C. al. *uxoris.*

[22] *Præceptus.*] Sic Creſc. & 3. V. C.

IV. IDEM paulò inferius. [an. 385. *Romà in Hiſpaniam.*]

De eodem.

b Polyc. *ibid.* Ivo, *p.* 6. *c.* 50. §. *quia.* QUia [b] aliquanti, de quibus loquimur, ut tua Sanctitas retulit, ignorantiâ [c] ſe lapſos eſſe deflent; his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine ullo honoris augmento, in hoc, quo dejecti [23] ſunt, quamdiu vixerint, officio perſeverent: ſi tamen poſthac continentes ſe ſtuduerint exhibere. Hi verò, qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, & ſibi aſſerunt veteri hoc Lege conceſſum; noverint [24] ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis autoritate dejectos: nec umquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præſentia cavere [25] nos præmonent in futurum, ſi quilibet Epiſcopus, Presbyter, atque Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus; jam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt, ut [26] abſcindantur [d] vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.

c ignoratione.
d excidantur. *orig.*

¶ CORR. ROM.] Caput hoc in aliquot manuſcriptis Gratiani exemplaribus conjunctum eſt ſuperiori.

¶ PITH. [23] *Dejecti.*] Creſc. *detenti.*

[24] *Noverint.*] Sic Creſc. & 2. V. C.

[25] *Præſentia cavere.*] Creſc. & V. C. *caventia.*

[26] *Ut.*] Abeſt à V. C.

GRATIAN. 3. *Pars.* „ QUI autem propter peccata jubentur deponi, poſt condignam pœnitentiam in ſuo ordine poterunt reparari. Unde

V. IN CONCILIO HIBERNENSI α. [an. 672. *in Anglia.*]

Quæ pœnitentia ſit imponenda Sacerdoti, qui de fornicatione convictus fuerit.

e Polyc. *l.* 4. *tit.* 39. Can. Apoſt. 25. PResbyter [e], ſi fornicationem fecerit, quamquam ſecundùm Canones Apoſtolorum debeat deponi: tamen juxta autoritatem Beati Papæ Silveſtri, ſi in vitio non perduraverit, ſed ſua ſponte confeſſus adjecit, ut reſurgat; decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem menſibus privato loco à ceteris remotus, pane & aquâ à veſpera in veſperam utatur; tantùm autem diebus Dominicis, & præcipuis Feſtis modico vino, & piſciculis, atque leguminibus recreetur ſine carne, & ſagimine, ovis, & caſeo β: ſacco indutus humi adhæreat; die, ac nocte jugiter miſericordiam Dei omnipotentis imploret: finitis tribus menſibus continuis exeat: tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo ſcandalum patiatur. Nec enim [f] debet Sacerdos publicè pœnitere, ſicut Laicus. Poſteà aliquantiſper reſumptis viribus, unum annum, & dimidium in pane, & aqua expleat; exceptis Dominicis, & præcipuis Feſtis, in quibus vino, & ſagimine [g], ovis, & caſeo juxta Canonicam menſuram uti poterit. Finito primo anno & dimidio, corporis & ſanguinis Domini, ne indureſcat, particeps fiat, & ad pacem veniat; Pſalmos cum Fratribus in choro ultimus canat; ad cornu altaris non accedat; juxta Beati Clementis [h] vocem, minora gerat Officia. Deinde verò uſque ad expletionem ſeptimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paſchalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque hebdomada in pane & aqua jejunet. Expleto ſeptimo anni circulo, ſi ſui Confratres, apud quos pœnituit, ejus condignam pœnitentiam collaudaverint; Epiſcopus in priſtinum honorem, juxta Beati Calixti Papæ [i] autoritatem, eum revocare poterit. Sanè ſciendum eſt, quòd ſecundam feriam unum Pſalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando (ſi opus [k] eſt) redimere poterit. Finitis autem ſeptem annis, deinde uſque ad finem decimi anni, ſextam feriam (nulla interveniente redemptione) obſervet in pane & aqua. §. 1. Eadem quoque pœnitentia erit Sacerdoti, de omnibus aliis peccatis, & criminibus, quæ eum in depoſitionem inducunt. Neque hoc cuilibet videatur oneroſum, ſi Sacerdos poſt lapſum dignè, ut ſuprà dictum eſt, pœnitens, ad priſtinos redeat honores.

f *al.* etiam.
g *al.* ſanguine.
h *Epiſt.* 2.
i *Epiſt.* 2.
k operarius. *Polyc.*

¶ CORR. ROM. α *Hibernenſi.*] Caput hoc citabatur ex Concilio Gangrenſi, in quo non legitur. Emendatum eſt ex Polycarpo, & alio libro manuſcripto pervetuſto, in quo libro ſunt multi Canones pœnitentiales: & hîc refertur ex Theodoro Archiepiſcopo Hibernenſi.

β *Et caſeo.*] In vulgatis ſequebatur, *utatur:* quæ vox ſublata eſt autoritate omnium ferè exemplarium Gratiani manuſcriptorum, & Polycarpi, & libri manuſcripti in ſuperiore notatione indicati.

CONSENTIENTES ET PECCATIS FAVENTES NON ORDINENTUR.

DISTINCTIO LXXXIII.

GRATIAN. 1. *Pars.* „ PROVIDENDUM quoque eſt, ne is, qui ad ordinandum eligitur, etſi à proprio vitio videatur alienus, conſentiendo alienis inquinetur. Ut enim Symmachus Papa [a] ait; non eſt grandis differentia, an lethum inferas, an admittas. Mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cùm poſſit, non excludit. Hinc ait

a In Libello Ennodii.

I. GREGORIUS VII. *in Reg. lib.* 6. *c.* 12. Romanæ Synodi, celebratæ [an. 1080. *al.* 1078. *Romæ.*]

Suſpendatur Epiſcopus ab Officio, Clericorum ſuorum fornicationi conſentiens.

b Anſel. *l.* 6. *c.* 177. SI quis Epiſcopus [b] fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum α, vel crimen inceſtûs in ſua parochia, pretio interveniente, vel precibus conſenſerit, vel commiſſum, ſibique compertum autoritate officii ſui non impugnaverit; ab officio ſuſpendatur.

¶ CORR. ROM. α *Subdiaconorum.*] Additum hoc eſt ex originali, & Anſelmo; quemadmodum & paulò pòſt verba illa, *ſibique compertum.* Notum autem eſt à tempore Gregorii I. Subdiaconos eadem lege continentiæ, quâ Presbyteros, aſtrictos fuiſſe.

II. *Item* GREGORIUS I. 1. *part.* Paſtoralis, *c.* 2. [an. 590. *Romæ.*]

Maximè Eccleſiam lædit, qui ſub nomine ſanctitatis delinquit.

c Polyc. *l.* 4. *tit.* 31. Burch. *l.* 1. *c.* 209. Ivo, *p.* 5. *c.* 323. NEmo [c] quippe in Eccleſia nocet ampliùs, quàm qui perverſè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis, peccator honoratur. Epiſcopus [d] α itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus eſt canis impudicus, quàm Epiſcopus.

d Burch. *l.* 1. *c.* 203. Ivo, *p.* 5. *c.* 317. *ex Gregorio.*

¶ CORR. ROM. α *Epiſcopus.*] Hæc non ſunt ibi apud B. Gregorium. Similia citantur infrà II. *q.* 7. *c. qui nec regiminis, ex Auguſtino* (cui etiam reliqua hujus Capitis anteà tribuebantur) & ex eodem à Burchardo, & Ivone citantur. Ceterùm iidem Collectores, Burchardus quidem *lib.* 1. *c.* 13. Ivo autem *par.* 5. *c.* 67. referunt aliqua ex Origene, quæ cum his aliquantulùm conveniunt.

III. *Item* INNOCENTIUS. [c. an. 410. *Romæ.*]

Qui non reſiſtit erroribus, conſentit.

e Deuſdedit *p.* 2. ERror [e] [1], cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cùm minimè defenſatur, opprimitur. Negligere [f] quippe, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quàm fovere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.

f Eleutherius Papa ad Galliæ provincias; & Orientales, in Epiſt. ad Julium; & Æpyptii in Epiſt. ad Felicem II.

¶ PITH. [1] *Error.*] Celeſtinus Epiſcopus ad Venerium & ceteros Galliarum Epiſcopos. *Timeo ne cobibere ſit, hoc tacere. Timeo ne magis ipſi loquantur qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſplicuiſſet.* Hujus Epiſtolæ aliquot verba Vincentius Lirinenſis *cap. ult.* refert.

IV. *Item* PIUS, *Epiſt.* 1. ad omnes Chriſti Fideles. [fortè c. an. 157. *Romæ.*]

Non prodeſt ſuo errore non pollui, qui alieno conſentit.

QUid enim prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti?

V. *Item* GREGORIUS α. [an. 599. *Romà in Galliam.*]

Qui non occurrit, conſentit erranti.

COnſentire [g] videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.

g Polyc. *l.* 4. *tit.* 31.

¶ CORR. ROM. α *Gregorius.*] In Epiſtolis impreſſis Beati Gregorii non habetur. Verùm *lib.* 7. *Epiſt.* 117. Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi poſt ea verba, *qui non reſtiterit*, in Regeſto manuſcripto pervetuſto, & in Polycarpo, ubi ipſa Epiſtola integra refertur, hæc ſequuntur: *Nam conſentire videtur erranti, qui corrigenda, ut reſecari debeant, non occurrit. Quia verò, &c.*

GRATIAN. „ SICUT autem aliorum vitia palpare non debet, ita nec malorum laudibus delectari. Unde

VI. ANACLETUS Papa, *Epiſt.* 1. Epiſcopis omnibus. [c. an. 102. *Romæ.*]

Miſerrimus eſt Epiſcopus, qui malorum laudibus gloriatur.

h Anſel. *l.* 6. *c.* 154. Ivo, *p.* 5. *c.* 237. *in fine.* NIhil [h] illo eſt Paſtore miſerius, qui luporum laudibus gloriatur. Quibus ſi placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus ergo Paſtorum, placere lupis, & gregibus ovium poteſt. Perdit enim labiorum α memoriam mens terrenis obligata carceribus. Sicut [i] artium in ſuo quoque opere invenitur mater inſtantia; ita noverca eruditionis eſt negligentia.

i *al.* Sicut autem.

¶ CORR. ROM. α *Labiorum.*] In Epiſtola Anacleti legitur, *laboris:* apud Anſelmum, & in uno ex vetuſtis codicibus Gratiani, *laborum;* unde potuit irrepſiſſe mendum: quod tamen ob Gloſſam non eſt ſublatum.

GRATIAN. 2. *Pars.* „ QUAMQUAM Sacerdotem tam à ſuis, quàm ab alienis criminibus oportet eſſe immunem; tamen ſi alìorſum ſeſe habuerit, non ideò verba ſuæ prædicationis debent contemni. Sicut enim Hieronymus ait [k], ut lixivium per cinerem humidum fluens lavat, & non lavatur; ita bona doctrina per malum Doctorem, animas credentium lavat à ſordibus peccatorum.

k Burch. *l.* 1. *c.* 204. *ex Dictis Hier.* Ivo, *p.* 5. *c.* 318.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI SINT VIGILANTES, CASTI, NON DIGAMI.

DISTINCTIO LXXXIV.

GRATIAN. 1. *Pars.* „ SOLICITUM quoque, & vigilantem oportet eſſe Epiſcopum circa defenſionem pauperum, relevationem oppreſſorum, tuitionem Monaſteriorum. Quod ſi facere neglexerit, aſperè corripiendus eſt. Unde

I. GREGORIUS I. Anthemio Subdiacono Campaniæ, *lib.* 11. *Epiſt.* 29. [an. 602. *Romà in Campaniam.*]

Corripiatur Epiſcopus, qui circa officium ſuum negligens extiterit.

PErvenit ad nos Fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Paſchaſium ita deſidem, negligentémque in cunctis exiſtere; ut in nullo, quia eſt Epiſcopus, agnoſcatur: adeò ut neque Eccleſia ipſius, neque Monaſteria, ſive filii Eccleſiæ, vel oppreſſi pauperes [a] ejus erga ſe dilectionis ſtudium ſentiant; nec aliquam ſupplicantibus ſibi [b] in quibus juſtum eſt, opem defenſionis accommodet, & (quod adhuc dici eſt gravius) conſilia Sapientum, & recta ſuadentium nulla patiatur ratione ſuſcipere, ut quod per ſe nequit attendere, ab altero ſaltem poſſit addiſcere [c]. & *infrà.* Quod ſi ita eſt, non ſine culpa tua eſſe cognoſcas, qui eum objurgare, atque coërcere, ut dignum eſt, diſtuliſti. Quia ergo hoc totum non ſolùm ipſum reprobat, ſed etiam ad Sacerdotalis officii pertinere probatur opprobrium; volumus, ut eum coram aliis Sacerdotibus, & [d] quibuſdam de filiis ſuis Nobilibus conteſtari pro hac re debeas, & hortari. Si verò [e] (quod non credimus) poſt hanc adhortationem noſtram ſolito adhuc more negligens eſſe tentaverit; ad nos eſt modis omnibus tranſmittendus, ut hîc poſitus diſcere poſſit, quid, vel qualiter ſecundùm Dei timorem agere conveniat Sacerdotem.

a *al.* vel pauperes.
b his. *orig.*
c Paulò pleniùs apud B. Greg.
d vel. *orig.*
e *Ibid.* paulò inferiùs.

II. IDEM ad eumdem *eod. lib. Epiſt.* 33. [an. 602. *Romà in Campaniam.*]

De eodem.

NUntiatum eſt nobis Campaniæ Epiſcopos ita negligentes exiſtere, ut immemores honoris ſui neque erga Eccleſias,